

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XXII. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

tris mirabiliter dedit, Hiob 10. v. 10. sic & omnibus vitam & inspirationem dat, in ipso enim vivimus, movemur & sumus, Act. 17. v. 25. 28. Imò postquam spiritum Domino nostro reddidimus, & quoad corpus terræ mandati sumus, nos die novissimo ad æternam vitam resuscitaturus est. Hæc enim voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium, &c. ait ipse, Joh. 6. v. 40.

Hæc consolatione fulciamus nos adver-

sus horribilem mortis intuitum, ne nimium consternemur, sed cum Jobo dicamus: Scio quòd Redemptor meus vivit, Job. 19. v. 26. Illic verà vitâ perfruemur, Sir. 48. v. 12. quæ nunquam finietur, sed ab uno seculo in aliud continuabitur, in beatâ æternitate, & æternâ beatitudine quam nobis omnibus DEUS largiri dignetur,

Amen.

* *

*

Dominica XXII. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 18, v. 23. --- 35.

EXORDIUM.

CUm piissimus ille Rex Josia librum legis legi audisset, & ex eodem intellexisset, neque se, neque Patres suos verba illius libri servasse: tanto propterea dolore perculsus est, ut sciderit vestimenta sua, 2. Reg. 22. v. 10.

Hic *triplicem librum* nobis in memoriam revocabimus:

1. Est *codex Scripturae*, quem nobis Servator apprimè commendavit, ut in eo studiose scrutemur, Joh. 5. v. 39. est enim testamentum Altissimi, Sir. 24. v. 32. scriptum non atramento: sed Spiritu Dei vivi. 2. Cor. 3. v. 3. de summis mysteriis, temporibus æternis tacitis, Rom. 16. v. 25. eo fine, ut vitam æternam habeamus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Joh. 20. v. ult.

2. *Liber conscientia*, in quo omnia peccata scripta sunt stylo ferreo, & acuto adamante exarata, Jer. 17. v. 1. qui hanc illibatam servat, & studet sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper, exemplo Pauli, Act. 24. v. 16, in bo-

no cordis vestigio lætari potest, Sir. 17. v. 13. Qui vero eam variis peccatis contaminavit, causam habet ex animo dolendi, & non ut Hiskias vestimenta, sed cor scindendi, & ad Dominum Deum suum convertendi, Joel. 2. v. 13.

3. *Liber culpa*. Quem Deus omnibus hominibus proponit, ut in eo, velut in triplici indice videre queant 1. *Quid à Deo acceperint*. 2. *Quomodo eo usi sint*, & 3. *quam rigorosam rationem reddenda sit*.

Primus concernit maxima Dei beneficia, quæ Deus nobis à ventre matris nostræ fecit, secundum misericordiam suam, Sir. 50. v. 24. dum nobis non modo panem quotidianum largitur, Matth. 6. v. 10. & præstat omnia abundanter ad fruendum, 1. Tim. 6. v. 17. sed & imprimis omni benedictione spirituali in Christo nos benedicit, Eph. 1. 3. adeo copiose & affatim, ut confiteri teneamur, esse nos minores cunctis miserationibus, & veritate, quam implevit in nobis, Gen. 32. v. 10.

Sechn-

Secundus, concernit administrationem bonorum & donorum, quomodo illa à nobis administrata sint, nempe nimis profligata, ut ratione singulorum debeamus decem millia talenta, & si Deus voluerit contendere nobiscum, non possimus ei respondere unum de mille, Job. 9. v. 3.

Tertius respicit rationem, quam Deus aliquando à servis suis reposcet, ratione bonorum, quæ acceperunt, & ratione malorum, quæ commiserunt, usque ad minimum verbum, quod locuti sunt, Matth. 12. 36.

Quemadmodum igitur Josia Rex, vestimenta sua scidit, quando verba legis sibi prælegi audivit, quia neque ille, neque Patres sui verba illius libri servaverant: Sic multo magis corda nostra scindere debemus, quando cogitamus, nos a deo Deo obæratos esse, nec tamen solvendo esse: Sicuti pii Veteres prælecto Evangelio imprimis eo collinearunt.

Nos sine ulteriori præloquio accessum ad illud faciemus, meditaturi:

I. Ἀνθρώπων λογίαν, sive *notitiam nostri*.

II. Χριστογνωσίαν, sive *notitiam Christi*.

J. J.

Exegetis.

AD hanc parabolam Servatori ansam præbuit Apostolus Petrus. Postquam enim audierat, quod fratrem in nos peccantem bis vel ter corripere debeamus, quo lucremus eundem: si vero audire nolit, esse debeat, sicut ethnicus & publicanus: hinc aliquanto curiosior, quærit: quoties fratri in se peccanti dimittere debeat? an sufficiat septies? putabat enim, si nimis facilem adversario se præberet: illum lenitate sua abuti posse. Sed respondet servator, non esse veri Christiani usque septies ignoscere, sed

requirere caritatem Christianam, usque septuagies septies, h. c. quoties offendimur, veniam delicti dare, ad exemplum patris cœlestis, in quem quotidie delinquimus, & tamen gratiam impetramus, quotiescunque eandem petimus, ira enim momentum in indignatione ejus, Psal. 30. v. 6. Nunc recenset parabolam, & ait: Assimilatum est regnum cœlorum homini regi: qui voluit rationem ponere cum servis suis.

Notitiam nostri hinc discemus, si spectabimus:

1. *Regem creditorem.* Qui nemo alius est, quam Deus, Pater cœlestis, Rex Regum, Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. cui omnes reges terreni homagia præstant. Dan. 2. v. 21. Cœlum enim sedes ejus, & terra scabellum pedum ejus, Esa. 66. v. 1. Sicut igitur dives in omnes est, Rom. 10. v. 12. sic etiam bona sua habet, quæ inter homines distribuit, nempe animam rationalem, corpus bene dispositum, & sana membra, ut quilibet id grato animo agnoscere & cum Davide dicere debeat: Laudo te, quod stupendo modo, & mirabiliter factus sum, Psal. 139. 14.

Sed præclara illa dona non ut decet, collocavimus, sed potius iis abusi sumus, ore ad maledicendum & blasphemias; auribus ad scurrilia; oculis ad vanitatem; manibus & pedibus, ad iniquitates Rom. 6. v. 13. ideo hic Deo debemus, decem millia talenta, & tamen solvendo non sumus.

Dedit nobis filium suum unigenitum, cum eoque omnia nobis donavit, Rom. 8. v. 32. ut in eum credamus, & vitam æternam habeamus, Joh. 3. 17. Sed plurimi cum recipere nolunt, amantes hic plus *χρόνον*, quam Christum, aurum quam Deum, frumentum quam cœlum; terrena enim sapiunt, & ventrem

trem Deum sibi constituerunt, Phil. 3. v. 19. propterea hic iterum decem millia talenta debemus, & tamen exire ære alieno non possumus.

Dedit nobis Spiritum Sanctum, qui est pignus hæreditatis nostræ, Eph. 1. v. 14. & signat, quod Deus verax est, Joh. 3. v. 33. qui omnia fideliter præstare velit, quæ nobis in verbo suo promisit, tanquam Deus, qui mentiri non possit, Heb. 6, 18. sicut & hac in parte adjuvat infirmitatem nostram, & testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei, Rom. 8. v. 26. 16. Sed sapiuscule fit, ut Spiritui Sancto resistamus, Act. 7. v. 51. & libentius carni obsequamur, juxta pravam illam naturam, quam à Protoplastis hæreditario accepimus, quicquid enim ex carne natum, caro est, Joh. 3. v. 6. Hic iterum decem millia talenta debemus, quæ exsolvere non possumus.

Dedit nobis verbum suum cum sacramentis, quod thesaurus est, super millia auri & argenti æstimandus, Psal. 119. v. 72. Nam verbum Dei est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1, 16. Sacramenta vero sunt quasi sigilla, quæ Deus majoris certitudinis ergo appendit, Rom. 4. v. 11.

Verum, o quam parum hoc à filiis seculi perpenditur! Quis credit auditui nostro, queritur Esaias, c. 53, 1. Semen verbi divini ex quarta parte perditur, & offendit e jusmodi terram, ubi nec radicare nec fructum ferre potest, Luc. 8. v. 12. 13. Nec pauci indigne convivantes occurrunt, qui sibi metipsis iudicium comedunt & bibunt, 1. Cor. 11. vers. 28. Hic vicissim decem millia talenta debemus, quæ dissolvere non possumus.

Quis omnia enarrabit, aut ratione comprehendet? Delicta quis intelliget? Psalm. 19.

Hic inspicias velim te, mi Christiane! an & tu unquam in eas cogitationes deveneris, quod Deus rex tuus sit, à quo hæc bona acceperis?

Nullus dubito, quin rarissime factum sit. Plurimi enim sacrificant reii suo, & thymia ma adolent sagenæ suæ, Hab. 1. v. 16. sicut Nebucadnezar dixit: Nonne hæc est Babylon magna, Dan. 4. v. 27.

Sed gravissimum peccatum est, non enim potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo, Joh. 3, 27. ideoque Deo soli gloriam dare, & cum Davide dicere debemus: Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, 1. Chron. 29. vers. 11.

II. *Servum debitorem.* Cum enim cæpisset rationem ponere, oblatum est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta: nec habebat, unde summam redderet.

Hoc considerari potest:

I. *In sensu literali.* Sine dubio hic servus cum uxore & liberis sumtuose vixit, & non modo in victu opipare: sed & in vestitu adeo magnifice se gessit, ut nemo ipsum æmulari facile potuerit. Forte & prædia sibi ex facultatibus Domini comparavit, secus enim vix possibile foret, tam grandi illum debito Domino suo obstrictum fuisse factum.

Hic se probent Praefecti, Quæstores, & alii, qui à rationibus sunt, ut & mercatores, qui sæpe maximo ære alieno se obstringunt, unde profusus sumptibus cum suis vivunt: deinde præter opinionem abs re pereunt, eosq, quibus oberati sunt, ad incitatas redigunt, annon servo huic similes sint?

Multi enim profligatæ conscientiæ homines adhuc hodie sunt, qui semper mutuo sumentes, nunquam de solvendo cogitant,

tandem ubi res ad summum rediit, vacillare incipiunt, vel fidem fallentes abituriunt. Ubi creditores inter se pariri coguntur, qua reliquerunt. Sed re ipsa nihil aliud, quam species furti est, neque enim fures, neque rapaces regnum Dei hereditabunt, 1. Cor. 6, 10.

Cum illis quidem, qui bonis suis spoliati, vel incendio sua amittunt, merito commiseratio habenda, est: attamen tam verbum Dei, quam jura Caesaria, imprimis vero caritas Christiana adstringit eos, si suo tempore ditefcant, ut creditoribus suis satisfaciant, & solvant. *Cessio enim bonorum, nec naturalem nec civilem obligationem exstinguit, sed tenetur debitor ad pinguorem fortunam reversus, solvere, quoad potest.* Omnia quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth. 7, 12.

2. *In sensu spirituali.* Hic omnes obstricti sumus, ratione creationis, ut vernæ, ratione redemptionis, ut mancipia, ratione sanctificationis ut mercenarii, ut Domino ter Opt. Max. serviamus in justitia & sanctitate coram ipso, Luc. 1, 75. Sed decem millia talenta ei debemus, nec sumus solvendo.

1. *Quoad debita originalia,* quæ à parentibus nostris contraximus, unde querela Davidis nobis ingeminanda: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, Psal. 51, 7. Quemadmodum enim pater, quando beneficium pro se & liberis suis accepit, si illud rursus disperdat, non modo sibi sed & filiis suis amittit: Sic quia Adam præclarissimum divinæ imaginis feudum, cum justitia originali deperdidit, nos quoque eodem care cogimur, hinc querela: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obtu- puerunt, Ezech. 18, 2. Rom. 5, 12.

2. *Quoad debita actualia,* quibus Deum quotidie offendimus, tam voluntarie quam in voluntarie, omissione boni, & commissione mali, eorumque non exiguus numerus est: sed excedunt capillos capitis, & arenam maris, ut intelligere delicta queamus, Psal. 19, v. 13. *Consideremus,* ait Augustinus, *peccata nostra, & numeremus, quid factò, quid factò, quid verbo, quid oculo, quid aure, quid cogitatione peccaverimus, quid innumerabilibus modis: nescio, utrum dormiamus sine talento.* Omnia enim cogitata, Gen. 8. vers. 6. verba, Matth. 12, 36. & facta peccata peccatis contaminata sunt, Rom. 7, v. 21.

Bonum opus est, quod jam congregati sumus ad audiendum Dei verbum, est enim unicum necessarium, Luc. 10, 42. sed quis gloriari potest, se debito zelo & fervore illud audire, ut Deus requirit. Plurimi siquidem auditores obliviosi sunt, Jac. 1, 22. qui audiunt sermones Dei, & tamen sequuntur avaritiam suam Ezech. 3, 31. Sic bonum opus est, preces fundere & ad rupturam stare, Ezech. 22, v. 30. Quis vero debito zelo orat? Ideo impletur illud Jacobi: Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, Jac. 4, 3. Summa: omnia, quæ facimus, peccatis inquinata sunt, ideoque nihil mereri possumus, Luc. 17, v. 10.

Hic velim scruteris te, mi Christiane! an hoc unquam recte tecum perpendideris, & non potius cum servo hoc obervato securitati te tradideris, & parum de eo sollicitus fueris?

Hic multi rei erunt, quos non censeas. Adeo enim invaluit securitas, ut multi illudant peccatum, Prov. 14, v. 9. & malum manuum suarum dicant bonum, Mich. 7, vers. 3. quin multi dicunt: Non videbit

D d d D o

Domnus, nec intelliget Deus Jacob, Psalm. 94. v. 7. Sir. 5. v. 4.

Sed non impune abibunt ejusmodi Epicurei. Neque enim joculari licet cum peccatis: siquidem Deo non negliguntur. Verum ut omnes lacrymas nostras numerat, & in utrem suum ponit, Psal. 57. 10. sic etiam omnes iniquitates nostras numerat, proferet etiam minutissima, & retribuet unicuique retributionem in caput suum, Sir. 17. v. 19. Non enim Deus volens iniquitatem est, Pl. 5. v. 5.

III. *Exactionis rigorosus.* Egressus enim servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: & injecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicens: Redde quod debes, aut in ære, aut in corpore! Conservus ejus procidens, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi q. d. totum nomen cum usura solvam. Sed ille noluit: & abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Hic teipsum in examen voca, annon & ipse quandoque debitor est tuos nimis rigorose ad solvendum adstrinxeris, & hoc modo damnorum auxeris?

Hoc milites superiori bello, in familiari usu habuerunt, ubi exactores iniquissimi miseris immisi, non citius recesserunt, quam rigoroso jure, vel injuria tributa expresserint.

Post pacem initam, Magistratus quoque passim militaribus hinc exactionibus utuntur. Ubi moderamen merito observandum, *Boni enim pastoris est, rondere pecus non deglubere, ut Imperator Tiberius dixit.*

Tributa, vectigal & censum, subditi quidem Magistratui debent, Rom. 13. v. 7. Sed

si nimium exaggerentur, & frequententur, effatum Michæ locum habet: Audite principes Jacob, & duces domus Israel, Mich. 3. v. 1. 4. Hæc merito illi observare debent, qui in tributis exigendis, modum excedunt, & nimis rigorose ea extorquent, ut lenitati studeant. Panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est, Sir. 34. v. 25.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, *Xg. 57. v. 1. 4.*, sive *notitiam* Domini nostri Jesu Christi contemplatur. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Rex justissimus*, cui servitui factorem rationem reddere tenentur, ex quibus unum qui debebat decem millia talenta, cum non haberet, unde summam redderet, jussit venundari, & uxorem ejus, & filios: & omnia, quæ habebat & reddi.

Hoc olim ita consuetudinis fuit, si quis solvendo non fuit, ut creditoris mancipium factus fuerit, ut videmus in Ægyptiis, qui in annonæ caritate cum frumenta ære persolvere non posset, Josephum rogabant, ut emeret se in servitutem Regiam, Gen. 47. v. 17. quinimo ubi impossibilis fuit solutio uxoris cum liberis in servitutem abrepta fuit, videre est ex 2. Reg. 4. 1.

Sic etiam Rex cum hoc servo stricto jure egit; quando eum jussit venundari, & uxorem ejus, & filios: & omnia quæ habebat, & reddi. Quo ipso nobis Christus ideam proponere vult, severissimæ justitiæ Dei, juxta quam ex rigore nobiscum agere possit, si modo velit. Creaverat enim nos ad imaginem suam, tantaque sanctitate & justitia ornaverat, ut legi justitiam, quam à nobis

his requirit, præstare potuissimus. Sed malitiose à Deo declinavimus, & deperdita imagine divina, in eam miseriam devenimus, ut jam omne frumentum cogitationum cordis tantummodo malum sit, Gen. 6. v. 5. & volentibus facere bonum, malum adjacet, Rom. 7. v. 21.

Hinc Deus non plus requirit à nobis, quam concessit, quod justitiæ ejus maxime consentaneum est, quæ homini nihil remittit: sed omnia ad amissum exigit, & maledicit omnibus, qui non permanent in omnibus sermonibus legis, Deut. 27. v. ult.

Potissimum vero propterea, ut Christum respiciamus, qui se nobis vadem exhibuit, & quæ non rapuit, exolvit, Ps. 69. v. 5. Licet enim cælestis Pater & ipse dives est in misericordia ejus locum ante non habebat, quam justitiæ ejus satisfactum esset, & sic ei reconciliaremur. Quod à Christo factum est, juxta illud: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, Es. 53. 5

Quod observandum nobis

1. *In deborationem*, ut cogitemus quanta peccata abominatio sint in oculis Dei: ut si pater-familias delinquat, sæpe uxor cum liberis, imo universa civitas id luere teneatur. Quod si enim audire nolueris vocem Domini Dei tui, Deut. 28. v. 15. 19.

2. *In consolationem*. Quod enim nos exolvere non potuimus, Christus exolvit pro nobis, & vitam suam tradidit *λῦσι ἀντὶ πειλῶν*, Matth. 20. 28. Ideo vera fide ipsum apprehendentes identidem ad eundem suspirare debemus: Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim, Psal. 25. v. 11. Secundum miserationum tuarum multitudinem dele iniquitatem meam, Psal. 51. v. 3.

Quando hoc ita factum fuerit, Dominus justitiam suam moderabit gratia & misericordia, projiciens post tergum omnia peccata nostra, Esa 38. v. 17. eorumque non amplius recordans, Esa 38. v. 34.

II. *Tanquam rex clementissimus*. Simulacrum enim servus prociens, oravit illum: Domine, patientiam habe in me: & omnia reddam tibi. Misertus est Dominus servi illius, & dimisit illum, & debitum remisit ei.

Tria hic recensentur, ex quibus misericordia Dei clarissime elucet, quorum

1. *Miseratio*. Misertus enim est Dominus servi illius. Hæc inexhausta illa scaturigo est, ex qua remissio peccatorum, & in genere omne donum perfectum derivatur, Jac. 1. v. 17. Hinc Ecclesia:

Captus tenebar Satanæ,
In morte deperiram:
Torquebar usque crimine,
Natus Dei sub iram:
Mergebar huc profundius
Ævum terebam nequius,
Obsessus à reatu.
Abhinc ab æterno meæ
Cladis Deus misertus:
Et gratiæ memor suæ,
Me liberare certus:
Cor appulit mî patrium,
Perquam profecto serium,
Nec optimo pepercit.
Et filio dixit suo:
sem tempus est
Heu sem itatus dolendi:
Corona tu cordi meo,
Ihs salus egenti:
Hunc libera de crimine,
Mortem ferocem destrue.
Vitam redue perennem.

D d d 2

Dem

Dem Teuffel ich gefangen lag/
 Im Tod war ich verlohren:
 Mein Sünd mich quälten Nacht und Tag/
 Darin ich war geböhren:
 Ich fiel auch immer tiefer drein/
 Es war nichts guts am Leben mein/
 Die Sünd hat mich beseffen.
 Da jammerts Gott in Ewigkeit/
 Mein Elend über die Wäßen/
 Er dacht an sein Barmherzigkeit/
 Er wolt mir helfen lassen:
 Er wand zu mir sein Vatter Herzh/
 Es war bey ihm fürwar kein Scherzh/
 Er ließ sein bestes kosten
 Er sprach zu seinem lieben Sohn/
 Die Zeit ist hic zu erbarmen:
 Fahr hin/ meins Herzens werthe Kron/
 Und sey das Heyl der Armen.
 Und hilf ihn aus der Sünden Noth/
 Erwü g für sie den bitteren Tod/
 Und laß sie mit dir leben.

Hæc mire commendatur in tota sacra scriptura. Moses clamat: Dominator Domine Deus misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verus, Exod. 34. v. 6. Psalmi ejusmodi testimoniis redundant, Psal. 25. v. 8. Psal. 34. v. 9. Psal. 145. v. 9. Prophetæ in omnibus suis scriptis prædicant, quod Deus se hominibus commendat, ut patrem, Jerem. 31. v. 9. ut matrem Esa. 49. v. 17. idque esse à seculo nomen ejus, Esa. 63, 16.

Hac de re testantur etiam omnes Evangelistæ & Apostoli. Nullus est bonus, nisi unus Deus, Matth. 19, 17. Multum misericors est Dominus, & miserator, Jac. 5. v. 11. Caritas ejus multa est, qua nos dilexit, Eph. 2. v. 4. Quinimo fidelis est, negare se ipsum non potest, 2. Tim. 2. v. 13.

Quando igitur beatitudinem consequi

volumus, non volentium neque currentium est, sed miserentis Dei, Rom. 9, 16. Meritum congrui & condigni, plane indignum est, & perstat effatum Pauli: Gratia salvati estis: non ex operibus, Eph. 2. v. 8, 9.

2. *Condonatio.* Ante ad solutionem eum adstrinxit, jussitque eum venundari, & uxorem ejus, & omnia, quæ habebat, & reddi. Quia vero ad pedes ejus procidens misericordiam & patientiam ejus imploravit, dimisit eum, & remisit illi decem millia talenta, quæ ei debuit.

Pari affectu adhuc hodie est in omnes, qui vera se poenitentia ad eum convertunt, quantus enim ipse est, tanta est ejus misericordia, Eccles. 2. v. ult. Mich. 7. v. 18.

Hoc unice propter Christum fit. Justitiæ enim Dei sine expiatione satisfieri non poterat. Illa vero hominibus impossibilis erat, non est enim, qui faciat bonum non est, usque ad unum, Psal. 14. v. 3. ideo Christus nostri causa se legi subjecit, ut eos, qui sub lege erant redimeret, Gal. 4. v. 4.

Nostri igitur coram Deo justificatio nihil aliud est, quam benigna debitorum nostrorum remissio, & imputatio justitiæ Jesu Christi, qua peccata nostra conteguntur, ut coram facie Dei nos non confundere possint. Hinc David: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, Psal. 32, 2. Rom. 8, 4. seqq. Col. 2. v. 14.

3. *Liberatio.* Alias moris est in hoc mundo, etiamsi malefico remissio delicti fiat, ut non plane impune dimittatur, sed aut in corpore luat, quod in ære non habet, aut si mortem meritis est, aut in exilium pellatur, aut æterno carceri includatur.

Sed hic Rex in hoc quoque misericordiam suam probat, quod servo huic animam debenti, non modo debitum: sed & penam renuit-

remittit. Hæc duplicia illa sunt, quæ de manu Domini susceperimus. Esa. 40. v. 2.

Hoc ipso igitur corruunt opera satisfactoria, quibus Pontificii peccata sua expiare, & tam temporalem quam æternam poenam effugere satagunt: Christus enim omnia plene expiavit, disciplina pacis nostræ super eum, Esa. 53. v. 5. Interea morbi, afflictiones, & adversitates piis Christianis subeundæ sunt in hoc mundo, quibus Deus eos ob reliquias peccatorum castigat: non tamen ut sint sati factio pro peccatis: sed vel maxime, ne videantur sibi innoxii, Jer. 30. 11. Hinc Augustinus: *Quod ante remissionem erat supplicium peccatorum, post eam fit exercitium iustorum.* Quia Deum diligentibus omnia in bonum. Rom. 8. v. 28.

III. *Tanquam rex severissimus.* Quia enim servus ille nequam, adeo ingratus fuit, ut gratiæ quam rex ei fecerat, non recordaretur, dum illi decem millia talenta donaverat: sed erga conservum suum adeo immittem se præbuit, ut, dum centum denarios ei debebat, manum ei injecerit, & obtorto collo traxerit, missio eo in carcerem, donec redderet debitum: ideo denuo vocavit illum Dominus suus, ingratitude & maliciam ipsi non modo severe exprobrans: sed tradens quoque eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum.

Hoc ipso confirmatur dictum Siracidis: Tam cito irasci potest, quam misereri, & ira illius in peccatores non desinit. Sir. 5. v. 7.

Probat id:

1. *Rigoroſa citatio.* Vocavit enim illum Dominus suus. Hæc erat citatio iræ, quia enim per citationem gratiæ ad fugem redire noluit, contemnens divitias bonitatis & patientiæ ejus, Rom. 2. 4. Jam aliam citatio-

nem Rex instituit, ubi gratiæ nullus amplius locus est, ut ira Dei maneat super ipsum, Joh. 3. v. ult.

2. *Ignominiosa compellatio.* Vocat enim eum *διδλον ποιηρον*, quo nomine diabolus insignitur, Eph. 6. 16.

Quicumque igitur infamiæ labem sibi contrahere non vult in misericordiam fugere, & è contrario caritatem erga proximum in omnibus dictis & factis exhibere debet, quod vel maxime à Christiano requiritur. Si quis enim dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, 1. Joh. 4. v. 19.

Multa sane præclara epitheta piis Christianis in scripturis applicantur: vocantur enim, benedicti à Domino, Psal. 115. v. 15. Christi Domini, Psal. 105. v. 15. Pupilla Dei, Zach. 2. v. 8. arbores justitiæ, Esa. 61. v. 3. 2. Petr. 1. v. 19. Eph. 2. 19. 1. Cor. 6. 19. 1. Cor. 12. 21. Matth. 28. 10. Rom. 8. 16.

Verum per iracundiam & vindictæ cupiditatem, omnia hæc elogia amittuntur, & titulus servi nequam succedit, quem Dominus tandem dividet, Luc. 12. 46. ideo per patientiam & mansuetudinem foliciti servemus unitatem spiritus, Eph. 4. 3. Pl. 133. ult.

3. *Iusta condemnatio.* Dominus enim tradit illum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum. Per hos tortores intelliguntur spiritus infernales, tanquam executores justitiæ diviniæ, sicut Lyra eos appellat.

Crudeles fuerunt tortores, qui mandato Antiochi septem fratres adeo excarnificaverunt, ut iisdem linguam amputarint, & cute capitis abstracta, summas quoque manus & pedes eis præsciderint, tandemque adhuc spirantes admoto igne in sartagine torruerint. 2. Macc. 7. v. 4. 5.

D d d 3

Sed

Sed nihili æstimandum est, respectu tormentorum infernalium, ubi damnati non modo commanducabunt linguas suas præ dolore, Apocalypf. 16. vers. 10.

Sed & sine fine torquebitur, Esa. 66. vers. ult. Id prohibeat à nobis,
DEUS per Christum,
Amen.

Dominica XXIII. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 22, v, 15. --- 22.

EXORDIUM.

CUm Sichem filius Hemor ad-
maret Dinam, filiam Jacobi, lo-
cutus ille cum Jacobo, ut daret e-
am sibi uxorem. Quia vero jam
tum vi oppresserat virginem, responderunt
filii Jacob Sichem, & patri ejus in dolo, di-
centes: Non possumus facere, quod petitis,
nec dare sororem nostram homini incir-
cumciso, quod illicitum & nefarium est ap-
ud nos. Sed in hoc valebimus fœderari,
si volueritis similes esse nostri, & circumci-
datur in vobis, omnis masculini sexus. Tunc
dabimus & accipiemus mutuo filias vestras,
ac nostras, & habitabimus vobiscum, cri-
musque unus populus.

Placuit oblatio eorum Hemor & Sichem
filii ejus, ut non modo ipsi: sed & omnes,
qui egrediebantur portam civitatis circum-
ciderentur.

Die vero tertio, cum gravissimus esset
vulnerum dolor, duo filii Jacob, Simeon &
Levi fratres Dinæ arreptis gladiis, ingressi
sunt urbem confidenter, interfectisque o-
mnibus masculis, Hemor & Sichem pariter
necaverunt. Gen. 34. v. 1. seqq.

Hæc nefanda est perfidia, quam filii Jaco-
bi in Sichem ejusque subditis perfecerunt,
ideoque in testamento Patris maledictione

afficiuntur: Simeon & Levi fratres, vasa
violentiæ gladii eorum, Gen. 49. v. 5. 6.

Imprimis vero hac in parte nimis inique
egerunt, quod Sicheinitis promiserunt, si
circumciderentur, se illis assensuros esse,
cum tamen dolum machinarentur, & jam
secum constituisissent, quod in dolore impe-
tum in eos facere, & omnes trucidare vel-
lent: quod adhuc hodie nimis familiare est
in mundo:

Os nec tar promit, mens aconita vo-
mit.

O quam sæpe Cain cum Habel fratre a-
mice colloquitur, cujus tamen vitæ insidiz-
tur, Gen. 4. 8.

Quoties Joab cum Abner clam pacifice
loquitur, ut occasio commodior sit, ipsum e
medio tollendi, 2. Sam. 3. 27.

Exempla plurima afferri possent, quo-
rum vero compendium facturi, prælectum
Evangelium duntaxat dispiciemus, ubi de
Phariseis audimus, quomodo cum Hero-
dianis consilium inierint, de Christo dolis
fallendo: exterius benevolentiam simula-
runt dicentes: Magister scimus, quia verax
es &c. Sed questio proposita ita compara-
ta erat, ut nullatenus dubitarent, quin ser-
vatore[m] cassibus suis implicaturi essent, ut
vel